Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 121
Quelle:
Copyright:

habet miniatam Clausulam: *Tak se skonawa zakon nowy A gest wykladu knieze Martina lupacze wnadiegi bozy wierneho a swateho muze y s ginymi pocztiwymi a mudrymi kniezimi Budiz bohu chwala nawieky wiekuow Amen.* Quasi dicas: *Sic finitur lex nova, et est interpretationis Sacerdotis Martini Lupacii in spe dei fidelis et sancti Viri et cum aliis honestis et sapientibus Sacerdotibus. Sit Deo laus in secula seculorum Amen.* Accedit Elenchus Epistolarum et Evangeliorum, in quo Lectiones *Vet. Testamenti* per extensum scriptae sunt. Thecis variorum Possessorum incelebrium commendata sunt Nomina.

LXXX.

R. 3301 Codex membraneus lat. Sec. VIII. Folior. 127. f. maj. angusto per duas columnas nitide exaratus, rubricis distinctus, initiorum literis quadratis, e quibus C non rotundatum, sed angulatum est, auro, argento, et coloribus speciosus, et optime servatus continet Sacrosancta IV. *D. N. J. C. Evangelia* nostrae lectionis cum Adparatu, qui edisserendus est. *Incipit Capitulare Euangeliorum De Anni Circulo.* Ita: *In Natale domini ad sanctam mariam. sec. lucam. k III. in illo tempore exiit edictum a cesare augusto. usque pax hominibus bone uoluntatis. Item ad sanctam anastasiam. secd lucam III k. in illo tempore pastores* &c. Sic semper prima et postrema lectionis evangelicae verba adsignantur. Pro *in natale Innocentium* legitur *Innocentorum.* Festum prius S. *Agnae* dicitur *de passione*, alterum *de natiuitate.* Inter Stationes a *Septuagesima* occurrunt: *In pamachiis, ad lateranis, in uestine, in suxurio*, cui feria VI. majoris hebd. additur: *quod est in basilica in hierusalem.* Sabbato ante Palmas Statio *ad sanctum petrum quando aelimosina datur.* Pascha *annotinum* collocat Noster post dominicam *Octauas pasche* et 24tam. *April.* Ascensionem Domini *Ascensam* adpellat. X. *Julii* in *natale VII. fratrum* quatuor Missae ponuntur *uia appia ad sanctum ienuarium*, dein *uia salaria prima ad aquilonem, secunda ad sanctum alexandrum*, denique *ad sanctam felicitatem*, itidem duae *in natale sancti laurentii.* XII. *Augusti natalis sancti eupli*, de quo *Baronius* in *Not.* ad *Martyrol.* XV. ejusd. *Sollemnia de pausatione sanctae mariae.* XXIX. *Septembr.* est *dedicatio ecclesiae sancti archangeli* sine addito. IX. *Octobr. translatio corporis sanctę petronellę*, de qua nihil in *Martyrol. Rom.* sed in Vita *Pauli* I. P. R. apud *Ciaconium* T. I. *col.* 533. legimus: *Idem quoque in Coemeterio antiquo in sepulchro marmoreo invenit Corpus B. Petronillae — quod argentea capsa inclusum congregato Clero, universoque populo Romano ex via Appia in Vaticanum detulit* &c. Id *Baronii* Annales ad an. DCCLVIII. referunt, unde recenti memoria in *Capitulare* nostrum cooptatum est. Dominicae Adventus ita numerantur: IV. III. II. I. *ante Nat. Domini.* Has excipi-